

# SAMLAREN

TIDSKRIFT UTGIFVEN

AF

SVENSKA  
LITTERATURSÄLLSKAPETS  
ARBETSUTSKOTT

*TRETTIOSJÄTTE ARGÅNGEN*

1915

UPPSALA

---

ALMQVIST & WIKSELLS BOKTRYCKERI-AKTIEBOLAG 1915



## Ur gamla anteckningar.

Af

Henrik Schück.

VI.

### Vårt äldsta medicinska arbete.

Under medeltiden hade man väl åtskilliga läkeböcker, såsom Henrik Harpestrengs och Peder Månsons, men icke något medicinskt arbete af mera vetenskaplig natur. Det första af denna art tyckes hafva varit en *Empiricus Svecus*, som tyvärr är förlorad, men hvars företal och dedikation finnas kvar i Köpenhamn i den Kallska Saml. N:r 280 fol. och som här meddelas. Författaren, d:r Johannes Cop, var icke den första vetenskapligt bildade läkare, som kallats till Sverige. Redan 1538 hade Gustaf Vasa en "medicus meister Hinrich van Diest", som antagligen några år förut kommit hit från Holland. Under nästa årtionde möta vi Dionysius Beur-reus såsom "Phisicus och Mathematicus" och Doctor Carolus Paludanus. På 1550-talet kom Johannes Cop till Sverige och jämte honom Doctor Philippus Wulf och Doctor Vilhelmus. Cop skickades 1555 till Finland för krigsfolkets räkning, och reste dit äfven 1558. Sitt arbete *Empiricus Svecus* dedicerade han till Erik XIV, och det är denna dedikation, som här meddelas.

### EMPIRICVS SVECUS

Autore D. Iohanne Copp ab Raumental Inclytissimi Domini Gustauí Sueciæ Gotharum ac Vandalorum etc. Regis Physico Medico. De omnium corporis partium a capitis coronide ad vsq; infimum calcaneum ægritudinum iniuriarumq; curationibus, Opus insigne, præcipuam ad curandos morbos partem Experientiam scz. egregie demonstrans, in septem logos digestum.

Serenissimo Illustrissimoꝝ Principi ac Domino.  
d. Erico Suecię, Gottharum et Vandalorum ꝛ Regi  
electo, Domino suo clementissimo.

Cum mecum animo verterem Sereniss. atꝝ Clementiss. Rex, quantis excellentissimis virtutib. Serenissimus & potentissimus Princeps ac Dominus d. Gustauus Suecię Gottharum ac Vandalorum ꝛ Rex dignissimus, Regię tuę Celsitudinis genitor charissimus, totiusꝝ patrię pater optime meritus Dominus meus Clementiss. hęc regna tam egregie auxerit decoraritꝝ: Non potui non multum illis congratulari, vnaꝝ cum eorundem incolis laeta mente omnium bonorum principum largitori Opt. Max. ingentes gratias agere, et Regiam Maiestatem summa cum reuerentia, vltroꝝ quod omnes multiplici iure teneamur religiosissime venerari. Nemo enim ignorat quantis angustijs antehac inuoluta, quamꝝ atrocissime a Tyrannis omnia dilacerata, vastata, depressaꝝ fuere. Vsꝝ adeo, vt fere iam nemini spes esset ea vnꝝ ex eisdem malis posse emergi donec omnipotens supremus ille omnium Regnorum gubernator, hunc vnicum nobilissimum ex veteri Sueticorum Regum sanguine natum principem suscitauit, quem a sequissimi Tyranni horum inclytorum Regnorum atrocissimi hostis cruentis manib. liberauit, atꝝ per medios hostes mirabiliter euexit. Quem etiam tandem per innumera pericula in hanc iam ante vastatam, laceram, lugubremꝝ patriam reduxit, adhuc iuuenem anteꝝ regni habenas suscepisset, qui postea non solum patriam diuino auxilio ab acerrimo hoste redemit maximis laborib., suo nobilissimo corpore in varia discrimina posito, sed iam liberatis Regnis, liberates suas restituit, sua iura, sua priuilegia, atꝝ leges pristinas quibus olim gaudebant, atꝝ alijs splendidissimis Regnis, vt omnium fere prima & vetustissima antehabita fuere, etiam anteꝝ nomen Christi agnouerant, quib. et iam sub eodem pijssimo atꝝ optimo Rege libere gaudent. Qui omnia in suprema mansuetudine, prudentissimo iudicio, non vt Imperator quilibet in Regno suo (quod natura hereditarioꝝ iure ei debebatur, Quod & tandem preclarissimis virtutib. strenuisꝝ factis suis optime meritus est) commode facere posset sed vt Clementiss. pater filios suos optime regnat. Sicut enim Vlysses apud Homerum πατήρ ἥπιος, hoc est Pater benignus, Et Æneas apud Vergilium pater optimus Teucrum vocatur. Sic certe hic pijssimus Rex merito benigniss. atꝝ Optimus pater Sueonum & dici & haberi debet, neminem etiam infimę sortis contemnens, quod et omnib. notissimum est. Omnib. enim fere omni tempore ad suam Maiestatem Regiam liber aditus patet. Quod licet in Regib. maximę laudandum in paucissimis tamen reperitur hęc virtus. Omnes humanissime ipse audit, atꝝ omnib. iustitiam religiosissime administrat. Neminem vnꝝ ledit, sed omnes bonos semper iuuare diligentissime studet. Officium Christianissimi atꝝ Optimi Monarchę nunꝝ negligit, perpetuo in recenti memoria voluens hoc

notatu dignissimum, quod in Cyri Regia institutione apud Xenophontem habetur. Principem bonum nihil interesse bono patri. Patres quippe boni, prouida de liberis sollicitudine, vt ne quid eis bonorum desit procurare. Eodem enim modo videmus optimum hunc Regem omnes suos benignissime fouere. Et non solum vt intra Regnum omnes incolę pie, iuste atq; pacifice viuant sedulo curat, sed & vt ab omnib. externis vicinis suauissima pace fruuntur prudentissime prouidit. Porro sapientissimum simul atq; pijssimum Regem non tam de pulchro Reipub. statu instituendo, quam etiam de gloria Dei propaganda, mox atq; Regnorum gubernacula ab altissimo sortitus est, maxime sollicitum scimus animi, iuxta ac corporis virib. laborasse amplissima hęc & antehac inculta, vltroq; quod a Danis dilacerata, exhaustaq; etiam Papticis errorib. maxime obruta, nonnullorumq; Episcoporum Baal proditionib. atq; nequitia circumducta Regna in meliorem statum reducere. Quod graue quidem & ærumnosum opus, felicib. coepit auspitijs, præcipuam præteritorum simul ac præsentium malorum corussam, ceu radicem morbidam amouens, Vtpote Anti Christi Romam eiusq; ministrorum imposturas, quib. vniuersam iam multo ante Europam deluserat, Et hanc oram Septentrionalem misere fascinauerat retundendo, Quos sane vt honestissimos, Deoq; gratissimos conatus, vere Regios prudenter atq; viriliter sua Maiestate Regia ceptos, omnium rerum moderator bonorumq; promotor Omnipotens Deus benignissime fortunauit, præsensq; adiuuit. Atq; adeo vt Regna hęc ab omni Idololatria Paptica breui & dexterime, quod alijs non paucis a vera Religione minime alienis non modo arduum sed etiam impossibile erat, purgare valuerit. Non secus atq; olim pijssimus Iosias Rex Iudę in regno suo, accepto a Hilkia libro foederis, vbi populus Iudaicus fęde defecisset, turpis idololatrię loco pristinus, verus, syncerusq; Dei vnus Opt. Maximiq; pariter et promissi Mesie, hoc est saluatoris, atq; redemptoris nostri cultus restitutus fuit (extirpatis vehementissimo Zelo omnib. Idololatrię et locis & ministris) Eundem tanta Religione obseruat, tuetur, & auget pijssimus Rex, vt ipsius Davidis personam induisse, aut certe eius ipsius Sancti Regis imitator merito dici haberiq; possit. Quippe qui in honorem altissimi magno molimine Ecclesijs (quę & frequentia & amplitudine his in Regnis, vtpote postremo Christiana Religione imbutis polent) bonos, fidosq; verbi ministros suffecit, exactis pseudodidascalis, et ab ouili Domini repulsis voracib. lupis. Nimirum vt illi facundia, doctrina, & vitę integritate præstantes, rudem & diuini nutus expertem populum in viam domini reuocarent, et de eius perpetua voluntate certum redderent, Quem antea diuino lumine orbatum hij cęcutientes in suimet exitium festinantes misere seduxerant, et in Idolomaniam præcipitem dederant. Ita qui olim huic Romano Idolo velut mancipia dediti, turpe seruitutis iugum sustinuerunt, noua quidem & vera libertate donati, vnus summiq; opificis, atq; filij sui cum nostri seruatoris verbum laeti audiunt, & sacri Sancti Spiritus gra-

tia retinent, colunt, obseruantur. O terque quaterque foelices amplissimorum Regnorum incolę, si sua bona norint. Quippe quib. lucem illam coelestem vniuersum mundum tot prius seculis Cymmerijs in tenebris constitutum, illuminantem intueri nunc atque libere frui licet. Merito itaque sibi gratulari debent, quod his vere aureis, longeque (si penitius introspexeris & rite contuleris) quam sub diui Augusti Monarchia foeliciorib. seculis tanti sub Regis gubernaculis nasci, auraque vesci ætherea contigit. Proinde grata offerant holocausta, et vt tantum patrem Patrię Nestoreos in annos incolumem & superstitem ipsis atque vicinis conseruet enixe precabuntur optimi quique. Siquidem toti iam Christiano orbi satis notum est, quod Regia Maiestas post Rempub. in suis Regnis bene compositam, etiam in Ecclesiastici ordinis restauratione, sacram Religionis causam non minore foelicitate quam prudentia ita promouit, vt vniuersus pene horum Regnorum populus sanę Obediens doctrinę e faucib. Sathanę, atque Romani Idoli baratro [ereptus sit], vere libertati restituerit, atque lucrata sit Christo, eius diuina ope dubio procul adiutus. Quis iam sanę mentis inde infitias ibit subditorum saluti fidelissime prospectum, & tot animarum laetali morbo presentissimis Remedijs a Clementiss. Rege tempestiue succursum? Ea potissimum ratione Regna hæc augustissima, et apud alias nationes preclara reddere studuit. Neque Regio illi studio perpetuus deerit honos atque immortalis gloria. Nimirum sapientissimi illius Ecclesiastici consilium amplexus. & pro precepto sequutus est optimus Rex affirmantis Fidelis Oeconomi, quanto magis tanti Monarchę partium esse, non segnius corporum, quam etiam animarum saluti consulere atque prospicere. Nulli neque parcens sumptui, viros vtraque in Medicina peritos Regijs stipendijs, liberaliter fouere gaudet. In quorum album me quem omnium minimum norim, nuper quoque cooptare vltro voluit, indignum honorifice longissimo locorum interuallo ad Suam Maiestatem accersens & accersitum magnificentissime suscipiens, ac denique Regia liberalitate tractans, quod ingenio animi candore grateque significationis ergo fateor et perpetuo gloriabor. Nec desinit plures etiamnum ad decoranda hæc Regna Remque pub. euehendam conducere. Preter alios non parum multos, quos ex incolarum infinita multitudine ingenio pollentes viride ætatis iuuenes selectos foris publicis in Gymnasijs vbiuis terrarum in omni disciplinarum genere institui curauit. Quorum alij iam ad optatam frugem peruenerunt, et in publico, sui prouectus specimen edunt quotidie. Alij vero bonam pre se ferentes spem, post iustam exercitationem expectationi aliquando sunt satisfacturi. Vnde nunc temporis ab alijs bene cultis Regionib. linguarum, artiumque peritia, morum grauitate, atque honesti obseruantia nihil differre videntur. Et silentio pretereundum non est, in vera synceritate candoreque animorum alios fere multos populos excellere. Ita demum vsu veniet, vt de Regia illa prouidentia cum foelici successu, benedictione altissimi coniuncta, palam & vere dici possit, Ex luteis omnino

aurea constituisse Regna. Quemadmodum inclyta Bohemia de Carolo suo Rege, et Imperatore Rom. eius nominis quarto in hodiernum, vsque diem iactitat. Et si in hæc tempora et Regna clarissimus Ecclesiasticę historię Gręcus scriptor Nicephorus Calistus incidisset, habuisset certe (meo iudicio) multo meliora argumenta huius pijssimi, prudentissimi, sanctissimiq; Regis virtutes prædicandi, quam olim illius sui Emanuelis paleologi Imperatorum optimi. Verum vtcunq; ipse extrema in ætatis parte, et altero quod aiunt pede in sepulchro ferme constitutus in nullam diutinę posthac vitę spem vover, neq; singulari eius desiderio teneat: Regię vero T. Celsitudinis pater vt quam diutissime adhuc Regnis suis foeliciter præsit, vitęq; sanitate constanti supersit omnium votis exoptandum. Ad id tamen pro mei ingenioli, quas concessit summus rerum conditor virib. allaborabo, omnes neruos intendam, hoc deniq; vnum mihi reliquum destinaui studium. Illius equidem nunc prompti animi propensęq; voluntatis significationem præsens in lucem dabo & absens, quod vnum superest Symbolum relinquam sub Regię Tuę Celsitudinis Augustiss. nomine atq; patrocinio, multis haud dubie mortalib. profuturum. Nolim enim apud me meosq; velut priuatos intra parietes delitescere ac marcescere, quę olim florentissima in Academia Viennę superioris Pannonię sub præceptorum meorum multis nominib. venerandorum Doctoris Nicolai Poll, inclytissimi Cęsaris Maximiliani Medici. D. Georgij Tansteteri, & Simonis Lafij, aliorumq; celeberrimorum Cęsareorum & Regionum Physicorum signis didici, & vidi, adhęc quę postmodum vltra XXXV annorum spatio in regno Bohemię et circumiacentib. prouintijs non mediocri foelicitate (absit iactantia) praxi operam nauans apud innumerabiles, cum plebę conditionis homines, tum summa nobilitate conspicuos Heroas longa experientia ad hanc vsq; ætatem obseruau, sedulo excepi, et que digniora visa sunt accurate monumentis chartaceis commisi. Potientur hoc parentis labore etiam filioli mei, neq; si eius thesauri copia priuatos querentur vbi adoleuerint, Et Regię celsitud. tuę munificentia in literis profecerint sua olim promptissima obsequia Celsitud. Tuę humillime præstituri, et Regia in aula eandem artem (quod faxit Deus) foeliciter exercitaturi: Horum bonę spei indoli ipse quo ad vixero, paterno nusq; deero offitio. Nec ambigo quin Regia T. Celsitudo eos post mea fata præsentis ope orbatos Regio subsidio ad honestam institutionem, gratos in postremum sibi sit deuinctura. Proinde cum primis Regię T. Celsitud. has lucubrationunculas fideliter communicare, ac splendidiss. nomini Tuę Celitud. conseruare libuit, Vt etiam quicunq; eo delectari iuuarq; continget, per hanc occasionem ipsos earundem sine sumptu participes, votiq; compotes euasisse Celsitud. Tuę acceptum ferant. Suspicat itidem candidus lector erga Regiam Tuam Celsitudinem fidum & ad honestissima quęq; obsequia animi Physici paratissimum nihil non ærumnarum pro Domini sui salute intrepide subituri. Hęc a me non modo offitij ratio sed pietatis etiam,

natureꝝ societatis obseruantia iure quodam modo suo exposcunt. Siquidem agnosco et prædicabunt mecum cuncti familiares præclaras natureꝝ Tuę Celsitud. dotes, quas ceu in vnum ad horum Regnorum foelicitatem destinatum electumꝝ vas largiter infudisse Altissimum cernere licet. Quamobrem subditi (quicumꝝ norunt Res hominum nunꝝ florentiores, quam sub bonis, nunꝝ etiam deteriores, quam sub malis principib. fuisse. Et quo præstantius est Dei donum, Rex pius et prudens, hoc rarius seculis omnib. hominum generi contingit) merito exultabunt, et simul cum peregrinis gloriabuntur, lætiꝝ gratias agent Deo & sublati in coelum manib. supplices precentur vt ad extremam vsꝝ senectutem tantę Reipub. sospitem prouehat, et sapientia qua præter eius ætatis captum Tuam Celsitud: ornauit in reb. gerendis subinde augeat. Quod demum pro voto faxit, si quando coepit, & ab ineunte ætate adseueit liberalium disciplinarum studia simul & earum professores prosequetur foueat alatꝝ. Adest enim summum tanto Regi ornamentum Iustitia cum sale æquitatis condita, cuius comes Modestia, atꝝ affinium virtutum Chorus nunꝝ abs tua Celsitud. discedunt. Adhęc ea est Regię T. Celsitudinis corporis temperatura, vt facillime diuino auxilio prosperam valetudinem optime tueri, aduersamꝝ præuenire prudentia, temperantiãꝝ impedire valeat. Et hanc Celsitud. Tuę innatam Regiam prudentiam haud dubie non parum excoluit doctiss. Præceptoris tui D. Dionisij Burrei optima institutio cui foeliciter accessit Regij Poetę Eobani Hessi facundissimi de tuenda bona valetudine doctrina, Cum commentarijs peritiss. Doctoris Iohannis Placotomi Aedanorum Physici Celsitud. Tuę inclytissimo nomine dedicatis. Declinantem vero emendare in melioremꝝ statum reducere, hujus nostri voluminis vsus pulchre docebit; quod Regia T. C. cum opus esse videbitur, in consilium vocare poterit. Sed ignoscas Illustriss. Rex quod hac mea infantia leuiter Regię, T. C. laudes attingere ausim: Cum satius rectiusꝝ esse sciam silentio præterire quod commode ac debito modo exornare nequeas. Tantum institui has meas vigilias Tuę potissimum Celsitud. vtcunꝝ familiari sermone commendare, quas equidem lubens in medium Reipub. sub Regijs Tuis insignijs confero: Exemplo pauperculę illius viduę, quę apud Marcum Euangelistam quadrantem gazophylation mittebat. Quin etiam periculum facere volui num vel exiguo hoc conatu ad Regię Maiestatis structuram commodum lapidem adijcere, aut saltem quali quali opera commodare possem. Nec puto me apud æquos rerum iudices vlla sinistra suspitione grauatum iri: quamuis haud me fugiat non defuturos. Zoilos, quos sugillandi cupido incesset Spiritu calumniante ductos, quasi has meas vigilias, vti Simia illa Æsopica suam tantum sobolem deamans extollebat, aliorum qui in praxi huius facultatis pulchriora elaborarunt, operib. præferam, aut quę Regię Cels. dedicentur dignissima existimem, aut inanem vulgi auram ambitiose aucuper, magni nominis brauium aut gratiam reportaturus. Eiusmodi male ominanti ac tacite insinuanti spiritui paucis dic-

tum velim, et primo quidem, nullius mihi talis culpę conscium, me etiam plura Regię Maiestati debere nequaquam inficior. Et si hec illi grata fere cognouero satis optimum inde fructum tulisse iuuabit, si ea occasione plurib. id summopere expetentib. profuerit. Vt scilicet quod mihi liberaliter creditum est ab opulento Patrefamilias talentum, non quemadmodum desidiosus ille minister apud Euangelistam sub terram condam, et eius vnus tantum possessor maneam, vsum proximo et fratri egenti inuidens, neq; vllum referens inde fructum tam benigno largitori. Preterea non me leuis ad illud institutum fiducia traxit, quod alijs me doctrina, vsu atq; experientia longe superantib. ianua hoc modo reserasse, ausamq; ad similia et maiora elimitoraq; in vsum mortalium promenda prębuisse minime poenitet. Si insuper nasutulus quispiam aliud desiderat, querat alibi vnde satur abeat. Mihi satis superq; est tanto Regi ac Domino meo Clementiss. meam hanc operam non omnino duplicuisse, & dignam suo patrocinio habitam acceptamq; Quod vtiq; de Regia T. C. cuius mihi prudentia, pietas, et erga bonos studium singulare cum primis est perspectum, persuasum habeo. Quare vt hoc exiguum Xeniolum meę fidei, atq; humillimi obsequij pignus, benigna acceptet manu. Et si pro Reię Tuę Cels. acerrimo in discernendis varijs scriptorum generib. iudicio in Regię Bibliothecę voluminum ordinem redigere velit, liberum est. Vnde Regia T. C. vbi necessitas postulabit, vel per mediocriter in diuina illa arte versatum salubre excerpere medicamentum, et manu periti nullo cum periculo vti, & quoties libuerit cum peritorum consilijs conferre integrum erit. Quod si vt spero istud meum studium a Regia T. Cels. probabitur, profecto non me in hoc exhausti laboris pēnitebit, neq; mihi in posterum simili atq; maiori industria promptissime gratificandi indestum (?) erit. Postremo iterum vt Regia T. C. submissi animi mei symbolum hoc, æqui boniq; consulat, et fidum suę Cels: Physicum commendatum habeat. Inq; ministrorum qui R. T. C. toto pectore sint addictiss. adscribere dignetur, humillime oro. Omnipotens Rex regum conseruet Celsitud. Tuam Regiam ad Nestoreos annos incolumem pro sui nominis gloria horumq; ampliss. Regnorum tuorum salute. Id quod ita fore, benignitate diuina fręti speramus, votisq; cunctis optamus et comprecamur.

Illustriss. Regię T. Celsitudinis

subditissimus

Physicus ac minister

Iohannes Copp ab  
Rau . . . . Doctor.